



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Macarius Romanus Conf. 23. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Quanta est mentis occupatio in appetitu terrena gratiae? & quantus est timor, ne hec eadem gratia perdatur? Perpende ergo quæ pœna sit aut prosperitatis desiderio fatigari, aut aduersitatis timore pavescere? S.Greg.l.6.Regist.

## S. MACARIUS ROMANUS CONF.

23.Octobris.

**B**Ellè Veneri illusit MACARIVS, cùm nuptiali bin thalamo sponsam reliquit, & Raphaële comite in ultimas solitudines castitatem asportavit. Ibi dum antrum subit, in geminos catulos & pone accubantem exanimem leænam offendit. Hanc igitur tumulo infert, catulos de suâ mensâ alit educatque. Crescent illi, & à nutritiâ sui collo innoxii pendent, blandientem lambunt, arridenti adrugiunt blandum. O semper tutior inter feras, quam non dicam inter mulieres, sed mulierum etiam umbras virginitas! Prodit foras MACARIVS, strophium reperit è sindone, è serico calceolos. Quid agis, MACARI? Viscum mitte. audit allacrimantem malis suis vocem. Ah aures obtura! Sirenem audis. Videt mulieris formam omni simulacro emendatiorem. Eheu oculos clade! Scorpionem vides. Ecce tecto recipit. Superos testor, MACARI! vivam leænam introducis, qui mortuam extulisti. Quid multis? triumphato hospite in fumos abit dæmonium, in lacrimas MACARIVS, in fugam leones. Quin ipse quoque se fugit; sed obfistit bonus ductor Raphaël. Ergo in genua & preces se abjicit, xl. ipsos dies jejunus. Tum verò conciliatos Superos, primùm leones reduces, deinde multa lux cælo allapsa, tum gratiantium Angelorum voces, demum Christus ipse

14. Octob. VITÆ SANCTORVM. 519  
ipse conspicuus indicarunt. Atque hæc MACA-  
RIVS ipse tribus aliis eremi incolis , nos verò Ma-  
rianis idèo hodie narramus , ut sciant securius  
castitatem binis leonibus coabitare , quàm uni  
fæminæ. Ex Menœis.

Contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in  
præsenti resistere ; libidinem verò fugiendo superare :  
contra hujus impetum apprehende fugam, si vis obtainere  
victoriam; neque tibi sit verecundia fugere, si castitatis  
palmam desideras obtainere. Augustin. serm. 250.

### SS. MARTYRES NAGRANI.

24. Octobris.

Non jam singulos Martyres producere in  
arenam , & cum tyrannis componere , sed  
producere in campum plenam aciem juvat, & to-  
tam pro Christo pugnaturam urbem Nagranam  
armare. Cave tamen cùm in exercitu nostro sacros  
homines, senes, marronas, pueros, & adeò puellas  
vides, apparatus nostrum riseris. Videbis majo-  
res corporibus suis animos , & viros sub stolâ,  
ipsamque in senibus juventam , in sacerdotibus  
fortitudinem. Ecce enim Arethas (urbi præfectus  
fuit) xcv. annorum senex canos pulchros sanguine  
pingit, lauro ornat : potuit ne quidquam glo-  
riosius ab hac ætate fieri ? Ruunt cum hoc in mor-  
tem eamdem socii CCC. XL. an præeuntem ducem  
non rectè secuti milites ? Sacerdotes sacrorumq;  
ministri omnes uno igne cremantur; an pulchrius  
poterant sacrificare ? Puella XII annorum in faciem  
Dunaani tyranni sputo pugnat, eadem cum sorore  
ferro jugulum dare non abhorret; an non fortiter  
utraque ? Utriusque sanguinem mater ore suo li-  
bat, mox suum miscet; an non viriliter fecit mu-  
tier?